


3.

# PÆAN AVRELIANVS

SEV DE LAVDIBVS SALVBRITATIS  
Cœli & soli Aureliani atque confessus Collegij  
medicorum Carmen.

Ad reuerendiss. doctissimumque præfulem  
**JOANNEM DE LAVBESPINE**  
Episcopum Aurelianum.

*Autore Raymundo Massaco  
Eiusdem Collegij Doctore.*



AVRELIA.

1594.

1257  
1258  
1259

1260  
1261  
1262

1263  
1264

1265  
1266

1267  
1268

1269

1270



## PÆAN AVRELIANVS.

VID faciat dilecta tuos Aurelia ciues  
Viaces, validosque diu, concordia qualis  
Seruetur medicos inter, quo fædere vincit  
Duret honos, longis numquam violatus ab annis,  
Urbis amor memorare iubet. Tu maxime præful  
Cui merito commissa gregis tutela sacrati,  
Clarum qui nomen spinæ deducis ab alba,  
Da candorem animis & carmina nostra dealba.  
Factalem spirent qualem oxyacanthus odorem:  
Quo solo tumidum a caulis Pythona fugasti,  
Credula tartareis afflantem corda venenis.  
Urbis medicam admouisse manum te grata factetur  
Acceptamque tibi tribuit seruata salutem.  
Versibus hunc nostris dederis filætus odorem;  
Quem multum proprio exhalas de stipite passim,  
Alter eris Pæan, tecumque empirica monstra  
In genus humanum stygia transmissa palude,  
Oxyacanthæo totus perfusus odore,  
Inde uitatis prosternam fixa sagittis.  
Ergo ades & nostræ fælix illabere menti.

Aii.

Multadiu lacū peregrinus climata terra  
Lusly qui, magna cupiens secreta parentis.

Equarios hominum mores, atque oppida nosse  
Sparsa per immuneras gentes, quæ semina ferret,  
Quidue recusaret nunc hæc, nunc altera tellus  
Quas nolis messe, quæ gramine discolor induit  
Mitteret & quales florent Gadibus herba,

Quas fruges regio nobis Antartica, quasue  
Gigneret Arctoo septem subiecta Trioni.

Visa mihi est etiam varijs fæcunda metallis  
Diues opum, studiorum illustris, & in clita bello  
Anglia, diuisi sic dicta quasi angulus orbis.

Illic quid refluat miseriis montalibus aptum  
Quidue nocens vastis pareret fæcundus abyssis.

Oceanus rerum pater, & genitalis origo

Scire laborauit, si quidem bona Pharmaca multa  
Multæ etiam iucautio lethalia toxicæ nutrit.

Hæc studui memori comperta reponere mente  
Et fidis (neque enim est res parua) inscribere charvis

Ut possem medicis aliquando strenuus artis

Thesauris ditare nouis, inserque clientes

Pæonios, aliquod nomera Massacus haberent.

Extrema errorum me tandem meta mitorum

Excepit placido Turrata Aurelia portæ

Quæ mihi (si verbis concessæ audacia nostris)

Aurea semper erit, testatur nomen ab aura

Impositum, regeret seu quando Aurelius orbens

Illustrare suo voluit cognomine, dignam

Quæ tanto reliquas inter fulgeret honore.  
 Forsan & hanc Graij dixerunt H'lis àupar  
 Gallia nam quondam fuit omnis græca, manentque  
 Plurima nunc etiam græce vestigia linguae,  
 Nominibus deinceps iunctis Aurelia dicta est,  
 Candida perpendas habitantum pectora vere est  
 Aurea, seu spectes collegia plurima musis.  
 Sacrata, & Themidi vere aurea recta dicata,  
 Seu Cererem circum flauentem, hic aurea dices  
 Secula, tam magno cum fænore farra leguntur,  
 Horrea quæ rumpant immenso pondere, quæque  
 In multos durent annos, urbesque propinquas  
 Annona cessante iuuent, quas urget egestas.

Præ reliquis etiam, pluuiio vel tempore, tota  
 Vrbs nitida est, nam se cunctarum strata viarum  
 Hinc inde exonerant, & prono lubricat lapsus  
 Proiectas rapiunt sordes, Ligerisque vehendas  
 In mare committunt, tum suspice regmina, puris  
 Ardescunt tegu'is, ut iures aurea vere  
 Culmina, sic fulgent rutilo radiantis sole  
 Qui totam illustrat surgens, mediusque cadensque.  
 Illa etiam ventos perflabilis excipit omnes  
 A Sphera recta distans & qualis, & ursis,  
 Adde gradus geminos, geminas quibus aspicit arctos  
 Et paribus spatijs a ponta diffusa utroque  
 Purior unde aer semotis influitbris,  
 Vicinas siquidem ponti vapor inficit urbes  
 Salsus, & obscura densat ferrugine mentes.

Aij.

Quid Ligerim memorem lambentem mænia? qui quam  
 Longus ab aurora cursus extendit ad usque  
 Occiduos fluctus, tota fluit aureus alueo,  
 Vicinos ditans populos, utque oppida centum,  
 Arcesque innumeras fælicibus alluit undis.  
 Huc illuc varias merces reuehensque uehensque.  
 Ad medios Ligeris cursus Aurelia sedes  
 Fixit, & occiduas urbes & spectat eos  
 Ante alias Ligeris charissima nata parentis:  
 Cuique a patre data est reliquarum cura sororum.  
 Mira soli, mira est cœli clementia circum,  
 Quæ dulces latices terræ illastantis ab antris  
 Elicit, & cultis generosi vina saporis.  
 Nutrit agris, præbetque cibos potumque salubrem  
 Crubus, hinc viridis multis & cruda senectus.  
 Cernere namque licet vegeto sat corpore, mente  
 Constanti, multos urbis per compita magna  
 Huc illuc placide vestigia firma ferentes,  
 Qui centum videre hiemes, cognouimus & qui  
 Centum & viginti Iani videre calendas.  
 At tandem effoeti superas reuehuntur ad arces,  
 Ultima natuum postquam scintilla calorem  
 Lampas ut absymeo exhalarit lumen oliuo.  
 Tempore labuntur longo, superantibus annis,  
 Non secus ac cœla maturum ex arbore pomum,  
 Quod neque grando furens, nec nimbis feruidus Auster,  
 Nec potuit rapido diuellere vortice turbo.  
 Natura etatis validum mirante vigorem.

Nec mirum tamen est, nam quid cœlique solique  
 Non possit talis clementia? parturit omne  
 Plantarum herbarumque genus, genus omne metalli.  
 Lustris silua suis claudit genus omne ferarum,  
 Quas passim indigenæ sub tectis arte cicurant,  
 Lanigerosque greges, pecudes taurosque minaces?  
 Ex tribus his, plantis, animantibus, atque metallis,  
 Materies simplex medica & composta resurgit.

Adde istis varios motus, variosque labores;  
 Exercet se lata quibus, docilisque iuuentus,  
 Nervos atque cutem purgans humore maligno,  
 Seruatque incolumes in plurima sæcula ciues.  
 Haud aliter quam quæ nascentia robora filuis  
 Augentur tacite, tandem radicibus actis  
 Insurgunt ventis, inimicaque frigora rident  
 Aestusque, hinc multos durant longæua per annos.

Vibelocus media est posuit sacraria Pæan  
 Hic sua, nec locus est toto tranquillior orbe.  
 Namque ubi pacifico medici sedere recessit  
 Præsidet Hippocrates, & iudex omnia solus  
 Iudicat, agnoscunt medici dominumque facientur.  
 In soli referenda dedit sua dogmata Pæan.  
 Sed quamvis mitis, tamen auersatur & arces  
 A se omnes, valvas nisi ianitor ipse Galenus  
 Pandat, & Hippocratis fragrantes ducat in hortos  
 Nascentes artis Mydas, timidosque clientes  
 D V R E T I debent nunc iungi scripta Galeno.  
 Ianitor ille etiam est, ausus recludere multos.

Hippocratis sensus renuit quos ipse Galenus  
Tractandoque tibi sapiens Lodouice reliquit.

*Vt sedem agnoui medicorum, protinus illuc  
Contendi, genio mentem stimulante, sed heu me  
Difficiles aditus, nisi quis ferat optima secum  
Doctrinae documenta sue, patresque sedentes  
Ignauum fucos pecus a præsepibus arcere,*

*Hic cum purpurea velatus veste sedebas  
BAVDETI in salio pœanis gloria sacri,  
BAVDETI doctos inter(dum vita manebat)  
Adnumerande viros, seu quia spectauerit artis  
Notitiam medicæ, seu re experientia longa  
Talem reddiderat, dignum cui vita daretur  
Longior, o quantum secum decus abstulit ille  
Præsidumque tuis Aurelia ciuibus omnes  
Iampridem proles, & quid foret utile cuique  
Quid nocuum, longo discernere nouerat & su*

*Proximus huic tanto, vicina sede, sedebas  
ASSELINÆE viro, dignus qui proximus esset  
Sola ætate minor, doctrina æqualis, & aste,  
Cui duplici Phœbus præcessit tempora lauro  
Insignem medicum decorans decoransque poetam,  
O quotiens pendere tuo obseruauimus ore  
Adstantes socios, cum dogmata sacra Galeni  
Ornato eloquio doctè referare solebas,  
Tu nostræ es lumen primum Asselinæ corona  
Qui medicos superas quos secula priscæ tulerunt,  
Tu mihi delitium, tu menti summa voluptas,*

Seu te commendet nobis veneranda senectus,  
Seu te doctrina & rerum experientia mater.  
Dij tibi dent faciles atatem viuere quartam.

Tu quoque cum reliquis cætus non ultima tanti  
Gloria, tunc aderas, nunc fælix umbra LOINE.

Tene etiam indictum merita sine laude FLEAVTI  
Præteream? medicæ viuus qui sydera cœli  
Iungebas arti, nunc te inter sydera vatem  
Constituere suum pia sydera, sydus & ipse es.

Hos inter iuuenis postrema est sede locatus  
SEVINVS, nuper factus collega, sed ille  
Quamquam ætate minor, vincebat tempore nostrum  
Aduentum, prior alleitus collega, sedensque.  
At iuuenem, indignum quem mors tam sœua maneret,  
Eripuit primis funesta nephritis in annis,  
Pollentem ingenio, metamque attingere certum.  
Insignes cuncti latia linguaque pelasga.  
Meque omnes placide excipiunt, pandente GALENO  
HIPPOCRATIS portas, veniens Pæana saluto.

Concessum hunc nostri quondam PAEANA vocarunt  
Maiores, opifer quia Pæan imperat illuc:  
Pæan qui Phœbus nonnumquam, & magnus Apollo  
Nomine mutato, sed re tamen unus & idem.  
Illic ipsi etiam Phœbo Pæana medentes  
Sæpe canunt, medicæ venerantes carmine sacro  
Inuentorem artis. Pæan ignoscet fatenti,  
Admissus cunctos ultro citroque saluto.  
Donatus tandem lauro, iussusque sedere,

*Intuitus reliquos, iuuenem contemnere cœpi  
SÆVINVM doctor, maiorque ætate, diuque .  
Ante illum veneranda palam præcepta medendi  
Exercens, ideoque illi præstare putabam.*

*Talia sed contra BAVDETIVS optimus heros,  
Duxque paterque chori, placido sic ore loquutus.  
Tempore posterior, doctrina æqualis & arte,  
Confessus nostri mores violare caueto.  
Si placet hic cœtus, collegaque noster habens  
Si statuis, priscis paulatim assuesce senatus  
Mandatis, durum nec sit ferreare vetustas  
Leges, quas sanctas longævus reddidit usus.  
Hic omnes fratres sumus, & nos mutua neclunt  
Vincula, parque honor est collegis, parque potestas.  
Non hic aut etas, aut cani albedo capilli  
Spectatur, prur hic qui tempore federit, hic est  
Iure prior, primum que locum primumque sedile  
Occupat, expeditans venientes ordine fratres.*

*Legibus his olim est CORTESIVS usus, & ante hunc  
BLANCHETVS, tuque o quondam venerande Decane,  
Confessus medici quem docta Lutetia seruat.  
Namque ad nos veniens urbis pelleetus amore,  
Iure decanatus sþreto, collega creatus  
Sedisti doctor postrema in sede, Decanusque.*

*Usque adeo hæc tibi libertas BVDÆE placebat.*

*Venerat & post huc CALPHVRNIVS, atque CRABÆVS,  
Respondere pares, amboque docere parati.*

*Ecce aliis claro Christi de nomine, clarum*

Nomen habens, clarus doctrina, animoque sagaci  
 Qui primus cœpit græcorum dogmata prisca,  
 Decretis præferre Arabum, & sua dicta tueri,  
 Confirmans veris medicæ rationibus artis:  
 Quamuis multa Arabum prudens præcepta probaret.  
 Non aliis græca melior lingua que latina?  
 Nosque loqui docuit, purisque exponere verbis  
 Barbarie expulsa, conceptos pectore sensus.  
 Venerat ille ad nos, regisque reliquerat aulam,  
 Pæanis nostri magno perculsus amore.

G V E T A L D V S nostros inter florebat, & omnes  
 Musas & Charites seuum venerandus alebat.  
 SYLVIUS hunc multis gratum sibi finxerat annis,  
 Inspirans mentemque suam, geniumque medendi.  
 Hic nostri Pæanis honos, reliquisque relictis  
 Cœribus, huic totum se vouerat, hic quoque sumpsit  
 Si qua tamen prosunt sine docta insignia mente.  
 Naturæ sapiens spectator, & arte magistra  
 AEgrotis responsa dabat, morbosque fugabat.  
 Illum omnes docti simul indoctique colebant.

Quid memorem clarum doctrina atque arte R V E L L V M?  
Quidue R E N A R D E tuum nomen virtute coruscum?  
 Te quoque qui magni referebas nomina S Y L V I ?  
 At vos o iuuenes rapuerunt inuida fata.

G O R R H A E V S nostri leges Pæanis amauit.  
 Gorrhaeus seclis decus huius, qui que loquentem  
 Carminibus latijs Nicandrum fecerat, atque  
 Vicerat, ut perhibent, Nicandrum versibus ipsum.

*At FABRVM vidi tantum, numerauerat ille  
Maiorum seriem sub eadem lege medentum.*

*Omnis hi docti quamuis titulique decori,  
Pæanis nostri mores, ritusque probabant,  
Nobiscum placidis animis, letisque manentes.  
Illi doctrina & virtus, studiumque iuuandi  
Summus bonus fuit, & cætus ea maxima nostri  
Laurea, ridebant graduum diplomata vana,  
Esse asini phaleras, emptasque fauore vel auro  
Si doctrina absit, phaleras non tollere tardi  
Mentem asini, turpe esse asinos audire rudentes  
Doctorum in cætu. motos rationibus istis  
Pontifices summos venerantes sancta virorum  
Pectora, præstantesque animos, ornasse decoris  
Confessum titulis, & splendida iura dedisse,  
Ut semel electi in cætam ciuesque creati  
Artem exercent tui, tutique docerent,  
Nec tituli alterius, trutinæve ullius egerent.  
Pontificum munus diplomata regia firmant,  
Prætorum leges & municipalia iura  
Vrbis, & accedunt summi decreta senatus.  
Hæc ubi facundo Baudetius ore loquutus  
Conticui, sanctas leges veneratus, & omnes  
Me fratrem amplexi, postrema in sede locarunt.  
Venit & huc longo sed post me tempore venit  
Doctrina insignis, paxnia carnute relicta,  
BOVTHROTVS multas urbes qui viderat ante.  
MAILARDVS, clari non inscianda parentis*

Progenies, laribus repetitis venit in urbem.  
 Dilectus patriæ multos ubi iura per annos  
 Reddiderat genitor, nostramque beauerat urbem  
 Castis iudicijs, vir seruantiſimus æqui,  
 Nec tamen his fretus mores mutare vetustos  
 Confessus voluit, quam tumuis doctior, atque  
 Iret honorata redimitus tempora lauro.  
 Accesit nobis placide, placideque receptus,  
 Laudauit ritus veteres, coluitque sodales.

Proximus hunc sequitur remagnus, nomine paruus:  
 Cuius doctrinam longa experientia rerum  
 Commendat, Galli gallo sermone PETITVM  
 Dicunt, atque apte, neque enim non esse petitus  
 A multis posset, tam nobilis arte medendi:  
 Ecquis te melior venasque, artusque secare,  
 Ossaque per partes distinguere corporis omnes?  
 Miror cur Genabo tibi maga Aurelia paruo  
 Post habita est, patro nimum occœcaris amore.

Ad nos post illum doctissime BAVCINETE  
 Misit te reducem Germania, clara per omnes  
 Gymnasiis urbes, doctoribus inclita doctis,  
 Tuque rediſ lapides dissoluere gnarus, & herbas,  
 Aeraque, & ex illis medicos educere succos.  
 Quis veterum scriptis iunxit præcepta recentum  
 Aptius? at nostri captus Paeanis amore  
 Quamuis doctoreras optasti noster haberi  
 Frater, & extrema cætus in parte sedere.

Ipſe etiam patris vestigia trita sequutus  
 Vix dum pubescens, consortia nostra petisti

Notabilis magna iuuenis ſe noſtra replebas  
 Pectora, auo melior Budæo & paire Loino  
 (Si vinci poſſent Parcae) quandoque futurus.  
 Sed cadis ut nimio paulatim rore grauata  
 Demittunt laſſum lethæa papauera collum,  
 Oſtenſus tantum patriæ tu gaudia noſtra,  
 Spes noſtras, tenera moriens depaſcis in herba.  
 Soluerunt quanto ſuperi mærore parensem,  
 Qui ferapraeuertit dilecti funera nati;  
 Nec cladem vidit, ſed tanto hærede relicto,  
 Non omnis moriens, cœleſtia raptus ad aſtra eſt.

Succeſſit iuueni D E B O N E R I V S , hic quia doctus  
 Et bonus, a nobis lauro eſt donatus, & hortos.  
 Ingressus noſtrós, cætum laudauit & auxit.

Ad noſtras quoque deuectus F R A N C I S C I V S oras  
 Pæane ex noſtro pariles ſuſcepit honores  
 Hunc quamquam paſſim miretur Belsia tota,  
 Cui doctroratum dederit Monſeffulus ſlim,  
 Illum & ſeruati ciues cum laude coronent  
 Innumeri, & reddat celebrem experientia multa,  
 Atque licet ſenior, iuueni tamen ipſe Loino  
 Ceſſit qui fuerat patris collega Loini  
 Idque lubens, pulcher quoniam ſic poſtulat ordo.

Tene machaonidem perdoctum H E R V E T E tacebo?  
 Nam patrem tota eſt mirata Aurelia, clarum  
 Pæonia ſanare manu fluitantia tabo  
 Ulcera, nec quisquam Chirurgus doctrior illa  
 Tempſtate fuit, natus maiora ſequetus,

*Internos morbo, & corporis abdita magno  
Edidicit studio, nosquerque optauit haberi  
Collega, ausonij, quamquam insignitus in oris.*

*Hui ades, o nostri confessus magna PELAVTI*

*Gloria, ducque tuo nostri Pæanis honorem*

*Nomine, sit fælix & prospera fama Pelauti*

*Et longos ornet nostrum Pæana per annos,*

*Qui iuuenis longe doctrina præuenit ænum,*

*Quem spes est, si fata sinant, si viuere detur,*

*Magnum ornamentum nobis Gallisque futurum.*

*Guetaldi siquidem sequeris vestigia magni.*

*Guetaldo magno maior quandoque futurus.*

*Nam memini, dum tu peteres confortia nostra,*

*Dulcior Hyblæo dicentis ab ore fluebat*

*Melle lepos, linguam & mentem mirata caterua,*

*Tete amplexata est, nostrosque admisit in hortos,*

*Donatum lauro, primum Pæanis alumnum.*

*Altera tu nostri præclari gloria cætus,*

*Vltimus hic LANDRAEE venis, quamquam prior anhis*

*Ordine posterior tantum, at præstantior usu*

*Præludes medico, numquam ordinis huius honores*

*(Numquam etenim virtus in publica commoda peccat)*

*Turbasti prudens meritos, licet arte peritos*

*Doctrina æquaris, quos nutrit Gallia Mydas.*

*Tot tantique viri cætum hunc Aurelia vestrum*

*Ornarunt, famamque sui liquere perennem.*

*Hæc tenus his viguit medicina instructa columnis,*

*Exul & a nostris doctrina empirica castris,*

Barbariesque iacet vasta concussa ruina.

Hic ex Hippocratis scriptis, scriptisque Galeni,  
Carpuntur flores, carpuntur grama passim,  
Mel medicum nobis facientia, melque salubre,  
Frons collegarum fælici baccare cincta est,  
Ne noceat medicis unquam mala lingua futuris.

At medici gemina stipati classe, medelam  
Corporis ægroti, nunc huic præscribere classi,  
Nunc alij assuerunt, nam sunt diuersa duarum  
Officia, & veluti ancillæ mandata capeſſunt,  
Quippe ſubalternae, tractant extera chirurgi:  
Contra naturam ſubeuentes membra tumores,  
Vulneraque, ulceraque, & luxati corporis offa,  
Et fracturarum norunt diſtinguere ſortes,  
Compagem omnimodam actus, virtutesque mouentes  
Corporis, hæc quisquis nesciuerit eſto prophanus,  
Exulet indignus venerando classis honore.

Pharmaca Rizotomus ſcrutatur Pharmacopæus:  
Præparat hæc eadem, medicisque iubentibus, unum  
In corpus miſcer, liquidum ſi quando neceſſe eſt,  
Nonnumquam in ſolidam, morbo poſcente, figuram.  
Herbas perfecte diſcernere, noſcere gemmas  
Qui nescit, qui nec pura aut impura metalla,  
Qui maris & terræ varijs animantia formis  
Ignorat, cœtum non admittatur in iſtum,  
Sorte ſua indignus, medicae prudentia tanta eſt  
Artis & infandas parit ignoratio clades,  
Dedecus iniuſam medicis, cane peius & angue.

Quinquaginta habuit classis quondam una peritos  
 Tempora florarent cum prospéra, pharmacopæos:  
 Pene alios totidem præstanti classe chirurgos,  
 Ciubus auxilium, quotiens opus esset, ad omnes  
 Morborum euentus, urbem utraque classis amabat,  
 Utramque urbs classem redamabat grata vicissim,  
 Utraque sub medicis, & eodem in corpore classis.  
 Viginti vix nunc tota numerabis in urbe,  
 Seu tu forte sua queras in classe chirurgos,  
 Siue suo numeres in tectu Pharmacopæos.

Vnde haec pauperies, qui sive illam inuexit Alastor?  
 Vltrices scelerum Diræ, qua noxia corda.

Terrore horrifico percellitis, ut neque sensus,  
 Nec constet sibi mens, stigijs Acheronte reliquo  
 Armatæ facibus, tuque o discordia scissa  
 Quæ graderis palla, superas venistis ad auras,  
 Tartareis Gallorum animos afflare venenis.  
 Exemplo turbatae urbes, diuisa potentum  
 Pectora, diuisum studia in contraria vulgus:  
 Feruescunt iræ, furiosque agitatur amaris  
 Haec rabies, vesana furens ruit omnis in armis.  
 Gallia, correptis nec satrationis in armis.  
 Regem alium pars haec, alium sibi postulat haec pars,  
 Ius dicit sibi quæque, trahit sua quemque voluptas.  
 Nec patrem agnoscit natus, nec filia matrem,  
 Infestique ruunt in mutua vulnera fratres.  
 Hic auro vendit partiam, cuiusque trementes  
 Exponit preda, lachrymis sine funera cernens.

Nec modus aut requies, ruit alto a culmine tristis  
 Gallia, nec natos potis est retinere furentes.  
 Hinc viriusque lues, & desolatio classis,  
 Illa hinc pauperies, qua nunc urbs nostra laborat.  
 Dum sibi quisque mali requiem portumque salutis  
 Exquirens ubiuis credit sibi tutius esse  
 Vincere, quam trepidè patriæ inter claustra manere.

Hos fauor, atque alios vindictæ dira libido  
 Abstraxit varie, variae in discrimina fortis.  
 Sic sensim elapsi plures, quos firma reducit  
 Pax tandem, & solita letos in sede reponet.  
 Namque Deus nostri post tristia multa misertus,  
 Emollit paulatim animos & pectora mulcet,  
 Quæ Diræ stigijs afflant ante venenis.

His subnixa viris confessus gloria nostri  
 Creuit & est sensim vicinas sharas per urbes,  
 Pellexitque ad nos, semper voluentibus annis,  
 Insignes, doctosque viros, qui nostra probarent  
 Principia, & tanta prima incunabula laudis.

Artibus his aucta est primum medicina, nec unquam  
 Hippocratem vicit quisquam, aut probitate Galenum.  
 Doctrinam probitas intra sua claustra coerces,  
 Incorrupta sacræ medicina altaria seruans.

Pasibus his si tu deinceps ventura Nepotum  
 Progenies, isto si tramite prouida pergas,  
 Ignavi fugient præsepio mascula fuci,  
 Quos sine doctrina tumidos empirica reddit  
 Sola, nec aus rerum causas, aut tempora norunt.

Commoda, temperiem spectant nec corporis ullam,  
 Una eademque illis sanandi corpora cuneta  
 Est methodus, prodeesse putant quod profuit uni,  
 Et sua ab euentu populis miracula vendunt,  
 Barbarie insignes, titulis, bullisque superbi.  
 Vos stolidi illorum maledicta retundite fortis.  
 Dura velut stabilisque suo molimine rupes,  
 Oppositum spectans fundata in littore pontum;  
 Ventorum fatuos ridet, pelagique furores,  
 Fulminaque eludit, magni Iouis irrita tela.  
 Assuetos nimbis cuneos, assuetaque ventis  
 Obiciens latera, & duratas tempore cautes.  
 Sic & vos mentes (iactis radicibus imis,  
 Hippocratis laeto in fundo, & fælicibus hortis  
 Irriguis puro facundi rore Galeni.)  
 Obijcite intrepidi, costasque opponite firmas  
 Pectoris immoti, vanasque eludite technas.  
 Dij tibi posteritas animos sanctumque pudorem?  
 Maiorum ne tu vera & veneranda tuorum  
 Consilia, ignauæ perdas torpedine mentis.

Ista tuis, multoque istis maiora, Nepotes  
 Debebunt grati, meritis Aurelia mater,  
 Fundatrix nostri cætus, altrixque benigna.  
 Me tibi ego pridem patria, laribusque relictis,  
 Denoui totum: ta primus & ultimus ardor  
 Noster eris. Nam qua te urbs abstrahat altera nobis?  
 A te si quicquam veri mens augurat, a te  
 Incipient sensim mansuescere ferrea corda,

Cij.

Ad tumidos bellis, Nemesis flauente, remissis  
 Hispanos. Gallis rex inclitus aurea conder.  
 Secula (seruatus per tot discrimina regum) erg.  
 Tempus ad hoc) solida quæ quondam pace vigebant,  
 Gallica cum regeret Lodouicus sceptra, parentis  
 Qui patriæ primus meruit cognomen, amansis  
 Indicium populi regem, regisque vicissim  
 Publica curantis commissi commoda regni.  
 Hunc titulum regisque pium clementis honorem,  
 Iste merebatur, pridemque fuisse adeptus  
 Seruatus iuuenis, nisi fallax bellua bellum  
 Vnitos quondam Gallos, Regemque colentes,  
 In sece, regesque suos armasset, ad hostes  
 Antiquos transferre volens insignia Regne  
 Liligeri, Mauræque illud submittere genti,  
 Mensis inops. Tantæ animis ciuilibus iræ  
 Ut noceant alijs sibi diram arcessere pestem.


Hunc Règem agnoscet, stolidos dixos a tumultu  
 Agnoscet tandem post bella nefaria, verum  
 Heredem sceptri, proprijs edocta periclis,  
 Exemplaque tuo reliquias ad tale nocabis  
 Obsequium, nam que tua non exempla sequuntur  
 Quæ sapiens sapiente etiam rectore beata es.

Seruatus iuuenis reduces seruare clientes  
 Magnanimus satager, belli scelerisque nefandi  
 Immoror, & toto surget gens aurea regnum  
 Villane Marranis gens est crudelior usquam  
 Occidua illorum mares & pectora narret

India, nunc in compedibus seruire coacta,  
 Atque auri rabiem aeternis fatiare fodiinis  
 Gentis inexpta, pre se contemnere cunctas  
 Assuetæ, fastuque magis quam pectore fortiis.

Hæc ego (dum dupliciti morbo vexarer, & inter  
 Spemque metumque anceps) memorem festantia mentem  
 Carmina condebam, solamen lene dolorum,  
 Quæ valuis appendo tuis charissime Pæan.  
 Venturis ut idem faciant exempla daturus,  
 Ne titulos lethæ a iuor̄ obliuia carpane,  
 Extinguantque tuas signa und silentia landes.

Extremum hunc mibi concessit mea misera laborem,  
 Mature uentura monens uitare pericula,  
 Ne medio effætus stadio subsistere cogar,  
 Dum male tornatos toties deponere versus  
 Gestio, nec tolli potis est tam blanda voluptas.  
 Sed superi auertant ventura pericula, densaque  
 Saepè nouas nobis recolenda ad carmina vites.



IN PÆANA AVRELIANVM RAI-  
mondi Massaci Medici Doctissimi P. Chotarus Aduocatus  
Aureliensis.

P E L L E R E si morbos, sanam producere vitam,  
Artis Apollinae nobile fertur opus.

M A S S A C V S hic specimen diuina præbuit artis:  
Atque opere in parvo grande peregit opus.  
Nec modo longa suis docuit cur ciuibus etas:  
Ipsi urbi vitam sed sine fine dedit.

Hæc tibi vis constat Pæanis munere: custos  
Nam medicæ Pæan Cyntbius, atque Lyra.  
M A S S A C E , componas sed si duo munera Phœbi,  
Inferiora puto pharmaca carminibus,  
Pharmaca nam rigidæ vincuntur, ut omnia, fatis:

Non perit a docta res anima lalyra.  
Intulerint si nunc immixta fata (quod absit)

Infandum nostris mœnibus excidium.  
Viueret inuitis Aurelia nota ruinis,  
Versibus eternum viuere iussa tuis.  
Viueret & vester Pæan, quæ sitaque per te  
Floreret clari gloria concilij.

Non secus in cineres ac flammis versa Pelasgis  
Carmine Mæonio Pergama prisca vigent.

Ergo dum stabit, reliquas Aurelia supra  
Vrbs feret egregium te celebrante caput.  
Quantum Damætæ stridentibus aurea cubmis  
Præstat Appollineo pecline pulsalyra.  
Audiet atque suas non inferiore camæna  
Pæan, quam laudes si sanat ipse sibi.

IN PAEANA DOMINI RAIMONDI  
MASSACI. A. D. C.

AUT hoc ipse suas cecinit sibi carmine laudes  
Massaci Phoebus versus in effigiem.

Aut saltem hunc pæana suo dictauit alumno  
Castalij tintum rore liquoris opus.

Vicumque est, simul ipsa tuas Aurelia dotes  
Permixtas Phoebi laudibus inuenies.

Incipiesque obscura prius tua noscere dona,  
In turpi pridem qua iacuere situ.

Fælix si rectè notis utare, tuumque  
Supra alias tolles sic tibi nota caput.

Nam nil deesse tibi longæ ad commoda vita  
Qui scribit, vates est simul & medicus.

Quis vatem aut medicum testes admittere nolit?  
Quos si disiungas, dignus uterque fide est.

Tanta hæc Massaco debes præconia, qui te  
Aduena, dilectam pectore & ore colit.

Inque dies laudesque tuas doresque latentes  
Eruit, obsequiis promptus ubique tuis.

Grata ergo hunc redama nec sit tibi charior alter  
Aduena sit quamvis, vincit amore tamen.

Digna illi statuæ meliori tempore dona,  
Quo deinceps pergit notior esse tibi.

APVD SATVRNINVM HOTOT,  
VRBIS ET VNIVERSITATIS  
TIPOGRAPHV

И МАКСИМ ЧЕРНЫЙ  
— А.Д.С. КИРИЛЛ

ABD SATURNIUM HOTEL  
ARBI'S ET UNIVERSITATIS  
THEATRUM